



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Evangelium Vnicvm Domini Nostri Iesv Christi**

**Riccioli, Giovanni Battista**

**Bononiae, 1667**

Apparatus ad Domini Aduentum, & Natiuitatem: Meditationes VII. ex  
præcipuis Prophetijs de Messia venturo; à die 9. ad 15. Decembris  
inclusiuè.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70945](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70945)

Sequuntur præcipuæ Promissiones, & Prophetiæ de Messiaë Saluatoris primo Aduentu in Mundum.

MEDITATIO IX.

Pro die 9. Decembris.

I. **A**Nno ante ortum Christi 2022. secundum nostram Chronologiam Reformatam, Abrahamo iam accincto ad immolandum Isaacum, dixit Deus per Angelum Genesis 22. (*Per memetipsum iuravi, dicit Dominus, quia fecisti rem hanc, & non peperisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli, & sicut arenam, qua est in littore maris: Possidebit semens tuum portas inimicorum tuorum, & BENE- DICENTVR in semine tuo omnes Gentes terra, quia obedisti voci mea.*) Adeò voluit Deus vt ad reparandum Mūdum, qui per inobedientiam Adæ perierat, Abraham per obedientiam mereretur, vt de semine ipsius nasceretur Saluator, futurus obediens vsq; ad mortem, mortem autem Crucis, & vicissim, vt ad Romanos 8. dicitur: *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.*

II. Anno autem 1840. ante ortum

## 34 APPARATVS MEDIT.

Christi, Iacob Annorum 147. mox moriturus, benedicensq; filijs suis Genesis 49. dixit. (*Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium: ligans ad vineam pullum suum, & ad vitrem, & fili mi, asinam suam: lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuae pallium suum: pulchriores sunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores: salutare tuum expectabo Domine.*) De tempore Regni, & Ducatus Iudææ translati ad alienigenas dixi in I. Meditatione.

III. Moyses cum esset moriturus annorum 120. Anno ante ortum Christi 1552. dixit Deuteronomij 18. (*Gentes istarum possidebis terram, augures, & diuinos audiunt, tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es. Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ut petisti à Domino in Horeb, quando concio congregata est, & dixisti: ultra non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar, & ait Dominus mihi: bene omnia sunt locuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui, & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi: qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego ultor existam.*)

## MEDITATIO X.

Pro die 10. Decembris.

I. **D**Auidi quoque, qui regnare cœpit anno ante ortum Christi 1055. promisit Deus cum iuramento, Christum de ipsius femine venturum, vt canitur psalmo 88. ibi. (*Disposui testamentum electis meis, iuravi Dauid seruo meo, vsque in æternum præparabo semen tuum*) & inferius: *Quia Domini est assumptio nostra, & Sancti Israel Regis nostri: tunc locutus es in visione Sanctis tuis, & dixisti. Posui adiutorium in potente, & exaltaui electum de plebe mea, &c.*)

II. Eodem quoq; psalmo dicitur de Messia: (*ipse inuocabit me: Pater meus es tu, Deus meus, & susceptor salutis meæ, & ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terra*) & post pauca (*semel iuravi in Sancto meo, si Dauid mentiar, semen eius in æternum manebit, & thronus eius sicut Sol in conspectu meo: & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis.*)

III. Quoniam verò cupiebat Dauid in diebus carnis suæ videre Christum Domini natum immediatè de se, & dilationem eius egrè ferebat; eodem Psalmo dulciter conquestus cum Domino adiecit: (*Tu verò repulisti, & despexisti: discoluisti Christum tuum*) & sub finem Psalma

## 36 APPARATVS MEDIT.

redigit Domino in memoriam. *Quod exprobrauerunt commutationem Christi tui.*)

Pertinent huc quoq; Psalmi 2. & 131. ex quibus posset fumi materia ad meditando: sed supra indicata sufficiunt.

## MEDITATIO XI.

*Pro die 11. Decembris.*

I. **C**Um Rasin Rex Syriae, & Phacee Rex Israel conspirassent ad debellandum Achaz regem Iuda, descendentem ex Dauid, & tamen non esset periculum illo tempore ne deficeret regnum, & stirps Iuda, ex quibus oriturus erat Messias; Isaias, ut habetur c. 7. iussu Dei occurrit Achazo, & ad eum confirmandum dixit ei: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra; & dixit Achaz: non petam, & non tentabo Dominum*) displicuit hæc diffidentia Isaiæ, & declarauit molestam quoque, seu displicentem tuisse ipsi Deo, eaq; occasione dixit (*Audite ergo Domus Dauid: Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis, & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel; Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum*) cœperat autem regnare Achaz anno ante ortum Christi 743.

Idem

II. Idem Isaias c. 9. sic prophetavit de re futura tanquam de præterita: (*Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Super solium David, & super regnum eius sedebit, ut confirmet illud, & corroboret in iudicio, & in iustitia amodo, & usque in sempiternum: Zelus Domini exercituum faciet hoc.*)

III. Capite autem vndecimo sic (*Et egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientia, & intellectus; Spiritus consilij, & fortitudinis; Spiritus scientia, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini, &c.*)

## MEDITATIO XII.

Pro die 12. Decembris.

I. **I** Saia 14. (*Prope est ut veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur. Miserebitur enim Dominus Iacob, & eliget ad huc de Israel, & requiescere eos faciet super humum suam: adiungetur advena ad eos, & adharebit domui Iacob.*)

II. Idem cap. 16. (*Emitte Agnum Domini dominatorem terra de petra deserti ad montem filia Sion*) & cap. 45. (*Rorate Cæli de super, & nubes pluant iustum, aperiatur ter-*

terra, & germinet Saluatorem, & iustitia  
oriatur simul, ego Dominus creauit eum.

III. Idem c. 30. (Non faciet auolare à  
te ultra doctorem tuum, & erunt oculi tui vi-  
dentes praeceptorem tuum) & c. 35 (Conforta-  
te manus dissolutas, & genua debilia robora-  
te: dicite pusillanimis confortamini, & nolite  
timere, ecce Deus noster ultionem adducet  
retributionis; Deus ipse veniet, & saluabit  
nos.)

---

MEDITATIO XIII.

Pro die 13. Decembris.

I. **I**saia 40. Consolamini consolamini po-  
pule meus, dicit Dominus Deus vester,  
loquimini ad cor Ierusalem, & aduocate eam,  
quoniam completa est malitia eius dimissa est  
iniquitas illius, & c. 41. (Confortaui te, &  
auxiliatus sum tibi, & suscepit te dextera  
Iusti mei: Ego auxiliatus sum tibi dicit Do-  
minus. Redemptor tuus Sanctus Israel.)

II. Et cap. 52. (Hac dicit Dominus: Gra-  
tis venundati estis, & sine argento redime-  
mini, & c. propter hoc sciet populus meus no-  
men meum in die illa; quia ego ipse qui lo-  
quebar, ecce adsum.)

III. (Propter Sion non tacebo, & propter  
Ierusalem non quiescam, donec egrediatur ut  
splendor Iustus eius, & Saluator ut lampas  
accendatur, & videbunt Gentes Iustum  
tuum, & cuncti Reges Inclytum tuum, & vo-  
cabi-

cabitur tibi nomen, quod os Domini nominabit) Isaia 62.

---

**MEDITATIO XIV,**  
Pro die 14. Decembris.

I. **B**aruc prophetare cepit anno 605. ante ortum Christi: & cap. 3. dixit (*Hic est Deus noster, & non estimabitur alius aduersus eum: Hic adinuenit omnem viam disciplina, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo: Post hac in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.*)

II. Danieli Anno 1. Darij Regis Persarum, idest 554. ante ortum Christi, Archangelus Gabriel ita prænunciavit: (*Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum, & super Urbem Sanctam tuam, ut consumetur prauaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & ungetur Sanctus Sanctorum.*) Has autem hebdomadas annorum Solarium esse, & inchoandas esse ab anno 20. Artaxerfis Longimani, idest 453. ante ortum Christi, docuimus libro 6. c. 12. Chronologiae Reformatæ: Vinctus est autem Christus statim, ac incarnatus fuit.

## MEDITATIO XV.

Pro die 15. Decembris.

**A**ggæus, Zacharias, & Malachias  
cœperunt prophetare Anno 521.  
& 520. ante ortum Christi.

I. Aggæus cap. 2. (*Hæc dicit Dominus exercituum: adhuc unum modicum, & ego commouebo Coelum, & Terram, & mare, & aridam, & veniet desideratus cunctis Genti- bus, & implebo Domum istam gloria, &c. Magna erit gloria domus istius nouissima plus- quam prima dicit Dominus exercituum, & in loco isto dabo pacem.*)

II. Zacharias c. 3. & 6. (*Audi Iesu Sa- cerdos magne, tu, & amici tui, qui habitant eoram te, quia viri portendentes estis vos: Ec- ce enim ego adducam seruum meum Orien- tem. Ecce vir Oriens nomen eius.*)

III. Malachias cap. 3. (*Ecce ego mitto Angelum meum, & preparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos queritis, & An- gelus testamenti, quem vos vultis.*)

